



**H**Einricus natus est ex equestri familia Viennæ  
 Austriæ, patre Laurentio eius urbis consule.  
 Cum itaq; pater eius ipso adhuc puero Anno 1475  
 obiisset, Heinricus amicorum consilio operam lite-  
 ris dedit, & breui tempore in humanioribus literis  
 plurimum profecit. Inde Iurisprudentiæ operã de-  
 dit, & ad eò in ea facultate profecit, ut omnium cõ-  
 sensu Doctoralia insignia *i. v.* impetrarit. Postea  
 quoq; exteras regiones, & in primis Italiam studio-  
 rum altricem inuisit, & magnam rerum experien-  
 tiam acquisiuit. Accedebat & uitæ pietas cum na-  
 turali facundia. Id cum Maximilianus Cæsar intel-  
 lexisset, eum in consilium recepit, atq; res magnas  
 expediendas commisit. Eas Heinricus magna dexteritate expediuit, & idcir-  
 co Cæsari gratissimus extitit, anno circiter 1505. Reliquit Heinricus ex Barba-  
 ra uxore Itala filios tres, Maximilianum, Laurentium, & Carolum, ex quibus  
 tantum ultimus anno 1546 superfuit. *Vu. Lazius rerum Viennens. lib. 4.*